

hoc differt à parabola; quæ aliud dicit, aliud significat. Sed
 lius tamen sacrae historiae est alios sensus admittere mysti-
 cos ut suo in loco dicemus, & causam: quanquam, solus
 historicus dogmata statuat probetque. Simplex quoque
 elocutio sit, non æquivoca, non metaphorica, non figu-
 rata, sicut in poësi & Rhetorica; alioquin fidem non fa-
 cit, nec claritatem scientiæ opportunam. Unde iudex te-
 stes examinando, ex quarum narratione iudicium expri-
 mendum erit, non minus veracitatem quam simplicita-
 tem in sensu & verbis etiam per vim extorquet. Quantæ
 quæstiones ex prisceorum historijs enigmaticis, præsertim
 Græcorum exoriantur & dubicantes, scit, qui historias
 perlegerit; præsertim in nominibus heroum, & regionum
 & actis.

Item dicitur *Aperta*: potest enim simplex in sensu esse,
 sed enigmatica aut confusa, ut sequi debentia præcedant,
 & ordo, & stylus, & grauitas nimia, sunt causa obscuri-
 tatis. Ergo vsitata sint vocabula, non peregrina, nec fi-
 cta, nec impropria: Ordo seruetur, ut priora prius dicantur,
 secus atque in poemate fit. Breuitas necessaria est:
 quoniam tanta est rerum, historia, ut non sufficiat homi-
 nis vita ad legendum, præsertim ea, quæ à centum annis
 ad nos vsque post noui hemispherij inuentionem, excre-
 uit. Quidquid ergo non facit ad cognitionem rerum ne-
 cessariarum ad scientiam, rescabit: & omne illud sine
 quo potest historia intelligi. Res memorabiles magni mo-
 menti pertinentes ad rerum notitiam & mutationem &
 exempla ideatiua, tantum colliget; paruas, & subauditas
 & ideata pertransibit.

Propterea enim additum est, *ut sit scientiarum funda-
 mentis sufficiens*. Quapropter non miscebit ciuilibus histori-
 cus Physica; nec Astronomus moralia gesta; mox decla-
 rabimus. Cumque sit historia prima lux; si fumigabit,
 offendet oculos, non iuuabit ad visum. Sensus quidem
 proprius vniquisque de præsentibus hic & nunc conte-
 statur; præterita autem & absentia ab historicis petimus,
 alijque testibus: sicuti enim proprijs sensibus fidem ad-